



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

42 Francorum proceres Imperio vacante Regem elegerunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

- ne occultè necatus fuit. ut per Luitprand. *lib. 1, c. 10, quem sequi.* Baro. *ann. 910, in prin.*
- 40 Lamberto mortuo, Berengarius summa rerum potitus est, & anno 915, à Jo. Papa X. Romæ in Imperatorem inunctus fuit, ut post Sigo. *de Reg. Ital. lib. 6, Baro. annal. 915, §, quod ad Ioan. & imperavit usque ad annum 924, quo à suis † fuit occisus ut post Luitpran. & Frossard ejusdem temporis accuratum chronographū, ut testatur Bart. tenet idem Baron. anna. 924. in princ.* & deinde pluribus annis vacavit Imperium, donec auctoritate Pontificia in Othonem Regem Saxonum ad Germanos fuit translatum, ut per Belarm. *de transl. Imper. Rom. lib. 2, cap. 1, in fin. & cap. §, accedant, etiam in fin. & Genebrar. chron. anna 912, pag. 320.*
- 42 Interim in Gallis proceres Francorum, Carolo simplici Rege relicto, elegerunt Robertum Comitem, Regem, quem solemniter Archiepisc. Rhemensis unxit, ut post Frossard. *Baron. annal. 923, §, hoc pariter, & sequenti anno Carolus cum exercitu contra Robertum imparatum irruens, conflato prælio, illum necavit, ac Hugone filio ad patris vindictam cum exercitu parato, Carolus fuga sibi consuluit, & demum dolo Eriberti Comitis captus, in carcerem detrusus fuit. Quapropter proceres Regni Rodulp. Richardi filium è Burgundia vocatum, in Regem elegerunt, ut post Frossard. idem Baron. *annal. 923, eod. §, hoc pariter.* Deinde Carol. de carcere eductus, & depositus, iterumque in carcerem coniectus, ut per eundem Baro. *anna. 927, in princ.* infra biennium in carcerem decessit relicto Ludovico filio, qui educabatur in Anglia, & interim*
- Rodulf. regnare cepit, ut post Frossard: *in chron. ejusdem anni, Baro. ann. 929, in prin.*
- 43 Rodulfo de anno 936, defuncto dictus Ludovicus Caroli Simplicis filius ab Anglia revocatus ad coronam Regni suscipiendam ab Artaldo Archiepisc. Rhemen. in Regem Francorum coronatus fuit, ut tradit Baro. *annal. 936, §, quo pariter eoque mortuo.* Lotharius ejus filius puer ab eodem Rhemenfi Archiepisc. fuit coronatus, ut per Frossard. *relatum à Baron: anna. 954, §, quo pariter.*
- 44 Decessit Lotharius, cum regnasset annos triginta, relinquens Regni hæredem Ludovicum filium unicum, qui etiam anno sequenti sine liberis decessit, & contempto Carolo patruo, Lotharii fratre, Regnum Francorum ad Hugonem Capetum Ducem Parisiensem delatum fuit, ut post alios Baro: *annal. 986, & 987, in princ.*
- Carolus autem Lotharii frater, & Ludovici patruus, Civitatem Rhemensem proditoriè accepit qua potitus fuit. *Bar. annal. 990, §, eod. anno, & sequenti anno eod. Carolo ab Hugone Capeto Rege capto, præcisus fuit ab eo Regnum Francorum, & Caroli Magni familia finem habuit, ut per eundem Baro. eod. anna. 900. in fin.*
- 45 Regrediendo nunc ad Imperium occidentale, cujus translationis occasione hæc pauca de Regum, & Imperatorum descendencia mihi attigisse sufficiant, mortuo Berengario, Francorum Reges coronam Imperialem non fuerunt affecuti, sed primus eadem imperiali corona post Berengarium, Otho Saxonix Rex, Henrici Regis filius fuit decoratus, qui Romam pacificè